



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni**

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

Sectio IX. An leges revocantes Privilegia pendeant ab acceptance  
Privilegiorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

possit illum remittere ad superiorem cui casus reservatus est? Enriq. lib. 7. de indulg. cap. 28. num. 2. & in Commentario litterâ 1. existimat, quoad absolutionem à censura reservata, non teneri confessorem uti privilegio, sed posse remittere pœnitentem ad Superiorem, Secus verò quoad absolutionem à peccatis, aliàs enim obligaret pœnitentem iterum eadem peccata confiteri, semel ipsi confessario, & iterum Superiori, quod absurdum videtur, & nimis onerosum. In censura autem hoc non currit, quia poterit absolvi ab ea à Superiore extra confessionem.

317. 10. Hæc tamen differentia minime placet, quia plus ex illa oneratur pœnitens, quam si iterum obligaretur confiteri peccatum, ob quod censura posita est. Quàmvis enim Superior possit absolvere à censura extra Sacramentum pœnitentiæ, sed nemo abolveret ab illa, sine cognitione qualitatis censuræ, ne cæco modo operetur in re gravi, ac per consequens sine notitia peccati, ob quod est censura imposita: obligaretur ergo pœnitens manifestare iterum suum peccatum Superiori extra confessionem. Et quis non videat hoc durius esse, quàm iterum manifestare in confessione. Ergo si hoc reputat absurdum Enriquez, magis absurdum debet illud reputare. Unde in utroque casu, vel dicendum, posse confessorem non uti privilegio, & remittere pœnitentem, ut aliqui tenent probabiliter: vel quod in utroque eventu teneatur illo uti, auditâ confessione, ut alii volunt, quod probabilius judico, regulariter loquendo; quia non potest renuntiare suo privilegio, cum gravi præjudicio

terti, ut tenet Panormit. in Cap. si de terra, de privileg. dixi regulariter, quia si iusta & rationalis causa adsit, poterit confessarius non uti privilegio, & ita non absolvere ab his casibus & censuris reservatis, sed remittere ad Superiorem, v. g. si pœnitens sæpè in eadem peccata reservata incidere soleat, vel alia simili de causa, quia tunc non proprie dicitur renuntiare, seu non uti privilegio in præjudicium pœnitentis, sed potius in favorem animæ ipsius, ut in futurum cautior sit in committendis talibus peccatis. Quod verò tunc pœnitens obligetur ad confitendum, seu manifestandum bis eadem peccata, est per accidens, & provenit non ex culpa Confessarii, qui prudenter, & ut spiritualis medicus animarum se gerit, sed ex culpa ipsius pœnitentis constituentis se voluntariè in tali necessitate; ita Angelus, verb. Conf. 3. num. 28. in fin. Rodrig. in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 9. num. 142. & in additione ad eundem numerum, Merola, & alii.

#### SECTIO IX.

*An leges revocantes privilegia dependant ab acceptance privilegiorum?*

1. **D**ifficultas hæc coincidit cum illa communi in materia de legibus: An lex sufficienter promulgata, & nota subditis dependeat ab acceptance illorum? Et quidem loquendo de legibus civilibus multi probabiliter affirmant, & multi negant apud Suar. Salas & alios. Circa leges Ecclesiasticas, seu Pontificias, non desunt graves Autho-

318.

thores, qui partem affirmativam sequantur, non quia sentiant potestatem condendi leges in Pontifice provenire à Fidelibus, ut benè notat Azor infra citandus. Certum enim est provenire immediatè à Christo Domino; sed quia, ut ait Apostolus 2. Corinth. 13. hujusmodi potestas data est à Christo Domino, non in destructionem, sed in ædificationem; sine consensu autem, seu acceptatione subditorum, lex inutilis redditur, & periculosa majoris nocumenu, ac proinde non in ædificationem, sed in destructionem cedit, & ideo præsumendum est rationabiliter Pontifices non alio modo velle obligare per suas leges; licet potestatem absolutam habeant, & sic sentiunt quod leges etiam Pontificiæ ferantur sub hac tacita conditione, si à subditis acceptentur; ita tenent expresse Joan. Major in 4. distinct. 14. §. contra secundam conclus. Valentia Tom. 2. d. sp. 7. quest. 5. quaestiuicula 4. dicens esse communem Juristarum, & Theologorum, adducit pro se Navarr. in manual. cap. 23 num 41. & Conf. 1. de const. quest. 5. addit. 2. & certè id videtur sentire, quia absolutè loquitur de omnibus legibus, & quando aliquid vult excipere de Canonicis legibus se explicat, & num. 62. loquendo absolutè ait, quod sicut lex in nihilo recepta, ad nihil obligat, ut paulo ante dictum est, & citat se ad dict. num. 41. relatum: Et ita lex in una sola parte recepta, quoad illam solam obligat, quò fit, ut aliquæ leges obligent ad suam dispositionem principalem, & non quò ad pœnam, quia quòdam illam sunt receptæ, & non quòdam hanc; & aliquæ quòdam unam partem pœnæ, & non quòdam

aliam. Adducit ipse Navarr. exempla in legibus Pontificijs, & concludit dicendo, quod aliqua lex etiam Ecclesiastica ligat quòdam pœnam exteriorem, & non quòdam interiorem, licet ejus lator utramque ponere intendisset, si acceptata non est, nisi quòdam pœnam exteriorem: Sentit ergo manifestè Navarr. quod etiam in legibus Ecclesiasticis obligatio in praxi, pendeat ab acceptatione majoris partis populi, seu Provinciae, in qua sufficienter promulgata, & nota est, juxta dicta supra. Eum sequuntur, præter citatos, Bonac. dis. 1. de leg. quest. 1. punct. 4. n. 27. Filiucius tract. 21. cap. 11. quest. 11. n. 429. Salas, & Reginaldus, citati à Bonacina.

2. Eandem sententiam sequitur P. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 3. de leg. num. 2. §. Conclusio verò, sed diverso modo eam explicat. Ait enim, quod licet lex, tum Pontificia, tum imperatoria substantiam suam, & intrinsecam vim, subditos obligandi, promulgatione acquirit, accidentaliter tamen perficitur, & confirmatur per populi acceptationem, & usum, & hæc proculdubio fuit mens Gratiani dist. 4 ubi, ut multi volunt, sequentia verba Divi Augustini adducit: *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* Ecce quomodo ait, leges promulgatione institui, ac condi, firmari verò, perfectionemque acquirere ( ut nimirum omnes & singulos è Communitate, totamque posteritatem constringant ) posteaquam à majori parte populi acceptatæ, & usu comprobatæ fuerint. Hæc Layman. & num. 4. resolvit, quod si lex, sive Pontificia, sive Imperialis, legitime promulgata à ma-

319.

Q

joni

jori parte populi, prætextu rationabilis causæ non recipiatur, currit contra eam præscriptio, etiam ignorante legislatore. Ex quibus inferit, quod potest lex esse recepta non solum quoad aliquam sui partem, vel in aliquo loco, ut dixit Navarr. cum alijs, sed etiam, quoad aliquod genus personarum, & non quoad aliud, ut si soli Clerici, & non Laici, vel soli Regulares, non autem Sæculares legem acceptaverint, & servant, in quo casu juris regula tenet, *quod utile per inutile non vitiatur.*

320.

3. Sed P. Azor *lib. 5. inst. moral. Tom. 1. cap. 4.* absolute docet, & late probat legem Canonicam sicut Imperialem sine acceptatione non ligare subditos. Quia jure, etiam Canonico constitutum est, ut leges Ecclesiæ vim non habeant, nisi fuerint usu receptæ, ut tradunt Gratian. *supra*, & ibi Archidiaconus, Dominicus, Præpositus, & Turrecremata, & *cap. de trequa, & pace*, Innocent. Hostiensis, & Joannes Andreas, & *cap. ult. de consuetud.* dicitur tolli leges consuetudine rationabili, & præscripta. Sicut ergo possunt abrogari leges semel receptæ, per consuetudinem contrariam, multo magis possunt impediri, ne obligent à principio, cum ante acceptationem minorem firmitatem habeant, neque quoad hoc considerabilis differentia invenitur, ut bene notat Suarez *infra* referendus, *num. 9.* cum alijs, & hanc dicit Azor esse communissimam sententiam Doctorum, & sic sentiunt *supra* relati.

321.

4. Denique P. Suarez *lib. 4. de leg. cap. 16.* per totam de hac difficultate agens, *n. 4.* resolvit dicendo: Supposita

legis Canonice publicatione, & notitia requisita, per se loquendo oriri ex illa in subditos obligationem acceptandi eam; ita ut non careat culpa, qui incipiunt illam non observare, & assertio est clara, quando lex non solum est justa, sed etiam moderata, & facilis observantia. Quia tunc potestas non deest, & voluntas contraria nullam rationabili conjecturam præsumi potest. Addendum verò est etiam in legibus difficilioribus, & durioribus si in rigore justæ sint idem esse servandum, ut declarat Corduba in *questionibus lib. 4. quest. 6. ex Cap. in memoriam 19. distinct. ibi: Licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus.* Quod cenfeo ait Suarez verum per se, & ex vi potestatis Canonice, quæ major est, quam civilis. Oportet autem, ut etiam de voluntate factis constet; tum ex verbis legis, & modo præcipiendi, tum etiam ex alijs indicijs, & circumstantijs legis. Addo etiam oportere, ut verosimile sit legislatorem non ignorare specialem difficultatem pro tali loco, vel tempore, aut alia occasione. Nam si probabiliter credatur hæc ignorasse, credi etiam potest noluisse cum tanto rigore obligare.

5. Et postquam *num. 6.* admittit 322. Suar. supplicationem in legibus difficultibus, & quæ videntur minus convenientes pro aliqua, vel aliquibus Provincijs, *num. 7.* ait: Quod eò ipso quod lex universaliter fertur, facile fieri potest, ut non congruat moribus, aut dispositionibus gentium omnium, pro quibus fertur, & maxime contingere potest in legi-

legibus Canonicijs, & Pontificijs, quæ pro universa Ecclesia dantur. Nam Ecclesia compeditur varia Regna, & Provincias habentes varios usus, & modos vivendi. Unde licet talis lex regulariter loquendo, non sit disconveniens, vel nimis dura pro tota Ecclesia & ideo respectu ipsius non habet locum supplicatio, nihilominus in uno loco, vel alio Regno, aut Provincia, potest esse nimis difficilis, pro moribus ejus, quos non solent Pontifices, velle mutare, nisi id exprimant, sed potius conservare, juxta *Cap. certificari, de sepult.* In tali ergo casu ratio postulat, ut liceat supplicare Pontifici, quia scientia ejus universalis non potest semper extendi ad hæc particularia, & hoc ipsum est à Pontificibus jure statutum, *Cap. 1. de const. in 6.* ex quo videtur colligi absque alia supplicatione ad Pontificem, ipsam legem ex vi illius juris, ipso facto non obligare in simili casu. Sed quia fieri potest, ut casus non sit ita clarus, & certus, quin sit necessaria declaratio Pontificis, ut de ipsius voluntate constet, in tali ergo casu, licita erit supplicatio, & juri consentanea, neque hoc est appellare à lege, ut vult Vazquez, sed supplicare, quod valde diversum est, & licitum, quidquid dicant ipse Vazquez & alij, si adsit rationalis causa, ut communiter sentiunt Doctores, & praxis docet; hæc Suarez *loco citato* satis prudenter, & piè.

323. 6. Cujus doctrina mihi videtur parum, aut nihil pro praxi distare à nuper relata ab Authoribus hujus ultimæ sententiæ. Ipsi enim non negant, nec negare possunt, quod si lex sit justa, & conveniens debeat acceptari. Nam omnes

admittunt causam rationabilem, ad non acceptandum, & supplicandum. Ergo si non adest causa rationalis, acceptare tenentur, nec possunt ad libitum respuere. Si verò clarè non sit conveniens, datur locus non acceptandi ex ipso jure, ut ait Suarez sine alia supplicatione. Si verò, casus sit dubius admittitur supplicatio ad Pontificem, & ut dicemus, dum non responderet Pontifex supplicationi, manet obligatio legis suspensa; ergo pro praxi ferè idem videntur sentire omnes Authores hujus sententiæ, & sic ut verior amplectenda, est, juxta resolutionem in dubiis, & notis sequentibus exprimendam.

7. Notandum igitur est *primò*, non 324. usum legis vocare Doctores dissuetudinem illius, non tamen quemlibet non usum, sed quando casus observationis legis se offert, & tamen à principio liberè, & voluntariè non servatur à tota, vel majori parte Communitatis: nam quandiu casus observationis legis non occurrit, non censetur dissuetudo per non usum ad præscribendum contra legem; etiam si per centum, vel mille annos lex non servetur; quia talis non usus cum simpliciter in negatione consistat, nihil contra obligationem legis potest inducere. Recolantur quæ diximus *supra* de amissione privilegiorum per non usum, & in hoc sensu verissimum est dictum Joannis Andreæ, Felini, & aliorum, videlicet legem non tolli per non usum, id est, per non usum nihil continentem contra legem, qualis est merè negativus, ut rectè notavit Navarr. *cons. 1. de Const. quest. 6. num. 25.* quem alij sequuntur, & ego.

Q 2

8. se-

325.

8. *Secundò* notandum est, *dissuetudinem*, & *consuetudinem* legi contrariam, differre inter se in hoc, quod *consuetudo* contraria legi præscribit contra legem jam acceptatam, & observatam; sed *dissuetudo* præscribit contra legem per non usum, seu per non observantiam illius à principio non receptam, & quia majorem firmitatem habet lex jam acceptata, & observata, quam illa, quæ nondum acceptata est, optimè colligunt Doctores minus temporis requiri ad præscribendum contra legem per dissuetudinem, quam per consuetudinem contrariam. Legendus de his nost. Andreas à Matre Dei Tom. 3. Theolog. Moral. Tract. 11. cap. 6. per totum.

326.

9. In designatione autem dicti temporis divisi sunt Authores, non enim desunt, qui sentiant nullum tempus determinatum requiri, ut per dissuetudinem lex abrogetur, quia nullum jus tale tempus determinat. Ideo dicunt sufficere aliquos actus contrarios ad arbitrium prudentis; ita Enriquez *Tract. de Synod. art. 2. num. 63.* cum Felin. *Cap. de tregua, & pace, §. leges, num. 13.* & alijs, sive legislator sciat non usum, sive non. Quam sententiam probabilem judicat Suarez ubi *infra num. 11.* Merola *disp. 4. cap. 4. num. 282.* & sic in hac opinione non requiritur certum tempus, sed solùm repugnantia per actus contrarios, in numero sufficienti arbitrio prudentum. Adest enim virtualis voluntas Principis nolentis obligare contra mores loci cum tali repugnantia.

327.

10. Nihilominus Azor. *lib. 5. cap. 4. quest. 6.* Suarez *lib. 4. de leg. cap. 16. num. 12.* Bonac. *disp. 1. de leg. quest. 1. punct. 4.*

num. 47. putant sufficere duos, vel tres actus contra legem sciente Principe, & non repugnante, seu non puniente, cum possit, quia hoc ipso, quod scit legislator dissuetudinem sive non usum, nec contradicit, nec punit cum possit, videtur legem abrogare, ut tradunt Panormit. & alij, & idem dicunt de scientia ministrorum Principis: At quando legislator ignorat dissuetudinem, sive non usum, seu non observantiam legis, requiritur decennium continuatum. In hoc enim differunt *consuetudo*, & *dissuetudo*: nam ut consuetudo præscribat contra legem jam receptam, requirit longius tempus, quia semel recepta, est magis fortificata, & in tota sua vi completa, & sic pro derogatione illius per contrariam consuetudinem assignant Doctores communiter tempus 40. annorum. Dissuetudo verò cum versetur circa legem nondum receptam, neque in tota sua vi completam, non indiget tanto tempore, sed sufficit tempus decem annorum sine intervallo, quia hoc in jure reputatur longum tempus, ut docent Suarez, & alij. Si verò intra decennium interrumpatur dissuetudo per acceptionem, & usum legis à majori parte populi, jam dissuetudo non haberet locum; sic Doctores *supra relati* cum Suarez, & Navarr. *Cons. 1. de const. quest. 7.* quibus libenter adhareo.

11. Dubitabis autem *Primò*, quid si legislator semper, & contradicit dissuetudini, & curet ut lex acceperetur, & usu recipiatur? Respondetur, quod legislator intra decennium habet jus, & potestatem adigendi poenis, etiam constitutis in lege, populum ad servandam legem

328.

legem sufficienter promulgatam, nec opus est intra id tempus, ut legem de novo constituat, etiam si non fuerit recepta, quia cum non sit ante decennium per dissuetudinem sublata, sufficit, si Princeps imperet populo, ne contra eam faciat. Si tamen non usus, sive dissuetudo continuetur per decennium, lex amplius non valet, etiam reluctante Principe, nec jure potest Princeps, sive secularis, sive Ecclesiasticus punire cives non implentes legem, nisi legem redintegret, ac renovet eam iterum publicando; sic Azor. *ubi supr.* cum alijs. Ex quo fit, quod dissuetudo intra decennium habet vim impediendi, ne promulgata lex incipiat valere, tamen intra illud non abrogat legem; post decennium verò continuata abrogata manet. Sic relati Auctores, & bene cum Navarr. *ubi supra.*

329. 12. Ratio hujus doctrinæ est, quia ut diximus lex, sive civilis, sive Pontificia, semper fertur sub hac tacita conditione, si acceptetur à populo, & ideo sive adsit scientia Principis, sive non, dissuetudo operatur effectus relatos.

330. 13. Dubitabis *secundò*, quando lex censeri debeat non usu recepta? Respondetur, quando vel tota Respublica, vel ejus pars major agit contra legem, sed quia multæ leges civiles, & Pontificiæ à majori parte Provinciarum, & Populorum usu receptæ sunt, in alijs autem Provincijs non sunt acceptatæ, ibi vim non habent, ut constat in multis legibus Canonicis, quæ servantur in Italia, & Hispania, & tamen in Germania, Polonia, vel Gallia non observantur, nec obligant, quia ibi non sunt usu receptæ. Patet hoc in Tridentino, Bul-

la Cœnæ Domini, & alijs, quæ in Gallia nullus sunt firmamenti, & autoritatis; requiritur ergo ut acceptentur à majori parte cujuslibet civitatis, & loci, seu Communitatis, pro quibus lex fertur, ut diximus *supra* ex Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 5.*

14. Dubitabis *tertiò*, an si contingat legem non servari ex ignorantia alicujus Populi, nescientis promulgationem ejus, hoc sufficiat, ut post decennium desinat obligare, seu abrogata maneat in illo loco? Navarr. *ubi supra* *quæst. 7. n. 35.* Azor. *Tom. 1. lib. 5. cap. 5. quæst. 1. Reginald. lib. 13. num. 164.* Salas *de leg. disp. 13. sect. 2. num. 11.* Bonac. *disp. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 28.* affirmant in tali casu legem manere abrogatam, & sine vi. Quia ratio ob quam lex non servata desinit obligare, non est scientia, & voluntas quasi formalis non observandi legem; nam hæc potius posset impedire dissuetudinem, quia non est digna tali indulgentia: Sed ratio est, mos ipse, seu consuetudo ipsa populi, seu quasi præscriptio. Idem sentit Chochier. *de jurisd. ordin. in exempt. p. 1. q. 50. n. 14.*

15. Sed melius cum Suarez, & Merola dicendum est, quod in tali casu dissuetudo cum ignorantia, non abrogat legem, sed suspendit ejus obligationem propter ignorantiam. Quapropter, si postea tollatur ignorantia, manebit lex respectu talis populi in eo statu in quo esset, si tunc fuisset primò edita, & promulgata, & ideo tunc incipit obligare si acceptetur, sin minus currit doctrina tradita, & tradenda. Ratio est, quia consuetudo non præscribit contra legem, si lex ignoretur, requiritur enim cognitio legis, ut actus contra illam sint

voluntarij, aliàs nihil facient contra legem, ut tenet communis sententia: Nam actus agentium ultra eorum intentionem non operantur, *l. non omnis, ff. de reb. cred. & Cap. fin. de prabend.* unde quamvis legem ignorantes transgrediantur materialiter, non propter hoc intendunt eam tollere, cum voluntas non feratur in incognitum. Ergo quoad hoc pari passu philosophandum est in dissuerudine, ex quo fundamento evanescit adductum à contraria sententia.

333

16. Dubitabis *quarid*, quinam peccent non acceptando legem? Respondetur distinguendo, si non statim acceptetur, sed interponatur supplicatio ad Principem, sive ex eo, quod sit nimis dura, & difficilis observantia, vel ex alia rationabili causa, nulli peccant legem non observando, quia per supplicationem, cum sufficiente ratione obligatio legis manet suspensa, quoad usque legislator respondeat. Quæ supplicatio debet fieri, vel ab Episcopo, vel à Communitate, seu aliquo nomine illius, ut solet fieri à Regibus, de quo plura sunt exempla, sic sentiunt Salas *de leg. disp. 18. sect. 4. num. 21. Salon. 2. Tom. de just. tract. de cens. art. 4. disp. 4. conclus. ult. Villalob. Tom. 1. sum. tract. 2. dub. 16. num. 6. Malder. 1. 2. q. 90. art. 3. dub. 2. Bonac. de leg. quæst. 1. disp. 1. punct. 4. num. 41. Diana Tom. 1. tract. 11. resol. 6.* Probat. ex *Cap. si quando, de rescript.* ubi Pontifex declarat, licitum esse non exequi rescriptum ejus, donec ipse plenius informetur, quando vera, & rationabilis causa intercedit, & videtur fundari in jure naturali, & sic debere præ-

sumi de voluntate, & benignitate Pontificis, quidquid in contrarium dicant Vazquez 1. 2. *disp. 156. cap. 5. Suar. Castro Palao, & alij* relati à Diana.

334

17. Si verò legislator audità supplicatione, non respondeat, censetur legem revocatam manere, sic tenet Castro Palao *part. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 13. num. 15. & nost. Stephanus à S. Paulo, Tractatu 2. Theolog. moralis disput. 1. dub. 3. num. 16.* qui pro eadem sententia adducit nostrum Urbanum, animadvertendam huic rei limitationem adhibentem, quia tenetur Princeps legi insistere, & subditos ad illius observationem cogere, si animum habeat obligandi. Cum igitur nihil horum faciat, censetur petitioni annuere. Constat ex Doctrina Salas, & Bonac. quamvis defectum consequentiæ notet Merola in doctrina Castro Palao, de quo non curo, sed doctrinam hanc amplector.

335

18. Quando autem non fit supplicatio, si causa supplicandi sufficiens adsit prudentum arbitrio: tenent aliqui, quod lex non obligat, & currit contra eam præscriptio decem annorum, adhuc ignorante legislatore. Ita *Enric. tract. Synod. art. 2. num. 63. Felin. Cap. 1. de treg. & pact. num. 13. & alij.* Si autem non est rationabilis causa supplicandi primi, qui in majori parte populi non observant legem, peccant contra illam, usque ad tempus præscriptionis decennij, si hoc ignoret legislator, quia si sciat, & non contradicat, neque isti peccant post primam vicem, quia censetur legem revocare, tamquam difficilem, & incommodam; sic Azor. *ubi*

*supra*



*supra*, & benè, *quæst.* 5. cum Felin. Navarr. Covarr. quos sequitur Laym. *ubi supr. cap. 3. num. 3.*

336. 19. De minori verò parte populi, quando major pars non acceptat, idem videtur dicendum; sed Layman *ibidem* ait, quod si tu paratus sis legem recipere, & data occasione intra decennium, etiam observes, & alij plerique de Communitate, nempe major pars, neque recipiat, neque recepturi existimentur, per Epicheiam, excusatum te fore à legis obligatione, neque peccabis contra illam operando, etiam ante expletum tempus præscriptionis, cum ratio, & æquitas permittere non videatur, ut tu solus, vel cum alijs paucis, legem communiter non receptam, longo tempore observare debeas, præsertim cum te tunc conformare debeas sententiæ Navarr. *cap. 23. num. 41.* & *conf. 1. de const. q. 5. Azorij lib. 5. cap. 4. Rodrig. in qq. q. 46. art. 9.* & aliorum Canonistarum, quos supra retulimus, dicentium legem ante acceptationem non obligare. Cum igitur acceptatio legis debeat esse à majori parte, quæ seculum affert minorem, ex communi regula juris, dum hæc non acceptat, minor videtur excusari. Si enim minor pars tenetur sequi majorem, quando acceptat, cur non poterit se illi conformare, quandiu non acceptat, supposito quod ex acceptatione pendeat legis obligatio in illorum sententia. Quam doctrinam, & si dicti Authores absolute sequantur, tamen Layman solum illam admittit, quando adest ignorantia consuetudinis in legislatore, sed si sciat non observantiam, & contradicat, & compellat ad illam, transgressoresque puniat, tunc singuli etiam observare tenen-

tur, quamvis major pars resistat, quia ratio naturalis postulat, ut in schismate, vel dissensione, quodlibet membrum sui capitis potius, quam reliquorum membrorum ductum, atque imperium sequatur; sed hoc, & si in aliquo gravi casu verum sit, regulariter tamen oppositum est verius, esset enim nimis onerosum, & leges communes tendunt in Communitatem per se, & cum hanc constituat major pars, si ista non acceptat, minor excusatur.

20. Denique dubitabis, an quando 337. lex est sufficienter publicata dubitatur tamen ab aliquibus an sit acceptata à majori parte populi, tunc teneatur dubitans ad observantiam illius? Respondent Salas 1. 2. *quæst. 21. tract. 8. disp. unica sect. 18. num. 164* Azor. p. 1. *lib. 2. cap. 19. q. 12.* & alij, quod in tali casu non tenetur quis ad observantiam legis, maxime in odiosis, & pœnalibus. Quia perinde est, ac si esset dubium juris. Cum leges non obligent ante acceptationem. In dubio autem juris judicandum est pro libertate subditorum. Tum etiam, quia possessio stare videtur pro subditis, itam libertatem possidentibus; hæc sententia probabilis est.

21. Opposita tamen est probabilior. 338. Tum, quia possessio stat pro lege, nam pro eo stat lex, pro quo stat legis præsumptio, sed præsumptio stat pro lege jam publicata. Unde onus probandi non esse acceptatam, pertinet ad negantem, ut docent Barrol. & alij Jurista, & sic hanc partem amplectuntur, Sanchez *lib. 1. oper. moral. cap. 10. num. 33.* Felicius *Tract. 21. cap. 4. quæst. 10. num. 164.* Bonac. *disp. 2. de pecc. punct. 8. num. 19.* & *disp. 1. de leg. quæst. 1. punct. 4. num.*

4. num. 44. Layman. Cap. 3. de leg. num. 6. & alij sentientes, hoc dubium non tam ad jus, quam ad factum pertinere.

339. 22. Ex dictis in tota hac disputatione facile colligitur, quid dicendum sit de legibus revocantibus privilegia, quæ si directè, & principaliter disponant aliquid faciendum, vel non faciendum, ut fit communiter, & ad ejus observantiam, privilegia revocantur, omnia quæ assignata manent de legibus, intelligen-

da sunt de ipsis privilegijs, quia accessorium sequitur principale. Si verò detur casus, in quo directè, & principaliter ordinetur lex ad revocanda privilegia; in merè gratiosis, erit necessaria publicatio & notitia illius, non tamen acceptatio, unde sine hac manebit extinctum privilegium, & idem est de indulgentijs, quia ista nullo modo pendent, ut revocentur ab acceptatione, sed à voluntate revocantis, ut bene notat Suar. lib. 8. de leg. cap. 40. num. 7.

## DISPUTATIO SEXTA.

*De Revocationibus privilegiorum, quæ in Tridentino continentur, & de clausulis, quibus in eis utitur.*

### SECTIO I.

*De his, quæ interdiciuntur Religiosis exemptis in Concilio Tridentino cum revocatione privilegiorum.*

*sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum superiorum.* Hic non apponitur revocatio privilegiorum, sed credo nullum inveniri privilegium in contrarium.

340. 1. CUM ex decreto Tridentini, sess. 25, cap. 22. de reg. constet obligari Religiosos ad observantiam eorum, quæ eis in ipso Concilio ordinantur, & præcipiuntur, revocando eorum privilegia in multis casibus, opus est, ut claram eorum notitiam ipsi habeant, ne cœcutescentes in foveam cadant, potiora ejus ante oculos ponere intendo, notando in quolibet casu revocationem, quam includit, addendo aliquas particulares notas, alias in propria loca remittendo.

341. 2. Primò, sess. 4. in decreto de usu, & editione novorum librorum sic ait: Non liceat fratribus imprimere libros de rebus

3. Secundò, sess. 5. de reform. cap. 1. præcipitur, ut in Conventibus Regularium lectio sacræ Scripturæ habeatur, ubi commodè fieri potest, accipe verba: *In Monasterijs quoque Monachorum ubi commodè fieri potest, etiam lectio sacræ Scripturæ habeatur. Quæ in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, & in hoc, ut Sedis Apostolica delegati, eos ad id opportunè remedijs compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio habeatur. Quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris: In hoc neque derogatio, neque privilegium in contrarium invenitur.*